

257
233
6
d
c
h
5010

BREVIS NAR-
ratio Triumphi quo a Senatu
populoque Traiectensi Illustrissimus princeps
Robertus DudlAEus Comes LeicESTRIVS
&c. Traiecti Batauorum exceptus
est Anno restitutæ salutis 1586
quarto idus Martij.



VLTRA FECTꝯ.
Henricus Borculous Excudebat.
Anno 1586.

RELIGIOSISSIMO PRIN-
cipi Roberto Dudleo Comiti
LEICESTRIO baroni de DEN,


BLG & c. Gubernatori belgiæ generali. Iaco-
bus Chrysopolitanus fœlicitatem
perpetuam.

Cum omnis vitæ humanæ societas, omnis reipub-
licæ tranquillitas, civiumque salus, ex optimi & moderati
principis prudentia, ratione & constantia dependeat, omni-
bus votis optandum est, deusque perpetuò rogandus, ut
talis princeps rerum gubernaculis præficiatur, qui rempublicam saluam,
incolumemque retinere omnibus nervis intendit: qui sacrosanctam re-
ligionem colit, amplectitur, amat, cuius mens & voluntas tota in
populi sibi commissi salutem coniecta est. Non ergo iniuria plus quàm
civilibus bellis attrita & accisa Belgia, fœlicior nunc habenda est,
quod singulari dei beneficio principem nata sit, qui nihil æque habet
in votis, quàm ægras Labentesque Belgiæ partes resarcire, optimo-
rumque heroûm, veluti Moisis, Ezechiae, Iudæ Machabæi, aliorum-
que exemplo, ad verum dei cultum promouendum, schismata & dissi-
dia extirpanda, salutem populi conservandam, sanctam rectamque con-
cordiam retinendam totus incumbit. Profecto non sine supremi nu-
minis providentia, amplissimæ vestræ Celsitudini rerum gubernacula
delata sunt, ut tu, velut alter Hercules. in tollendis mōstris suppetijsq3
ferendis nobis non desis, verum tempestatum fluctibus propè mersos in
tutum portum euebas. Hac spe de Amplitudine vestra concepta, tuus
exoptatissimus in hac Urbe aduentus, quanta omnium animos lætitia
perfuderit, vix credibile est, ex vultu tantum egregias animi tui do-
tes & heroicam magnitudinem præ se ferentæ, spes futuræ libertatis non
mediocris

mediocris, ciuibus affulgebat, comitate dulcissimoque oculorum aspectu
omnium beneuolentiam conciliabas. Et licet pompæ apparatusq; quos
in Celsitudinis vestre aduentum S P Q T R A. fieri curauerat. erāt
tenuēs nec satis pro vestra Amplitudine recipienda magnifici, credo
tamen si ciuium pectora cernere coram licuisset, non maiorem alacri-
tatem, propensiora studia, & affectus ostendi vestræ Celsitudini potu-
isse dixisses. Cum autem animum subiisset dubitatio, cui potissimum
exiguum hunc nostrum laborem dicarem, eum Magnificentie vestræ
(in cuius gratiam hi qualescunque triumphī sunt exhibiti)

merito deberi duxi, qui si Celsitudini vestræ ali-
quo modo fuere grati, eidem hoc nostrum mu-
nusculum non ingratum fore, nobis certò
persuademus. Traiecti. anno par-

tæ salutis 1 5 8 6 quarto
idibus Martijs.



Apparatus Tituli, inscriptiones & *Spētacula in aduentum Generosissimi Roberti Dudlæi, Traiecti exhibita.*

Vbi religiosissimus Princeps equitatu comitatuque
regio ad portā albarum virginum peruenisset, a Præ
tore alijsque vrbis optimatibus Claues Ciuitatis ei sunt
oblatae

Erant autem in foro boario geminae erectae pyramides,
plus minus octoginta pedum altitudinis, in Stylobate o-
belisci angliae reginae sacri hic erat inscriptus titulus

D. O. M.

Inuidiissimae Angliae Francia Hy-
berniae Reginae Elisabethae fidaei Patronae Belgiae asylo
S. P. Q. T. R. ai. Serenissimae regiae Maiestatī deuotissi-
mi dedicabant.

In dextra stylobatis facie legebatur distichon annum
continens.

Belgica sceptrā iuuat misere lacerata tyrannis,
Et fouet auspicijs ELISABETHA iuis.

Item

*Asspice res nostras, placidam post bella quietem
Ore deus Aequo belgia tota rogat.*

*In posteriori pyramidis parte, Samsonis historia
Leonem dilcerpentis extabat, hac inscriptione.*

*Mel leo Samsoni discerpto vt præbuit ore,
Fortia dulce decus parient sic facta Licestro.*

Sub Samfone legere erat.

*Immanem vt Samson diuino marte Leonem
Vincit, & ex rostro dulcia mella legit.
Sic etiam indomitos bello prosternat Iberos.
Dudl AEVS Martis dexteritate potens.*

*In vtroque latere Carmina partim germanice,
partim latine scripta erant,*

H*orrendo Troiæ superante decennia bello,
Et tanto rerum miserarum turbine fractis,
Militiæ dux esto piæ Dudl AEe, iuuejque
Arma, feros contra quæ belgia sumsit Iberos.
Nam das aduentu, dubijs solatia rebus
Certa tuo, nec non finem tua dextra malorum,
Hoste triumphato, nobis promittit, & almam
Restituens pacem, Saturnia regna reducet.
Vestraque, per populos, nunquam peritura feretur
Fama, tibi æthereas attollens nomen ad auras.
Hæc igitur celebres vrbs quos tibi spondet honores*

Accip

*Accipe fronte hilari: Vestris & iunge britannis
Belgica regna precor, non excepisse pigebit
Nos gremio regina tuo, sociasque dedisse
Vicinis dextras populis, tibi fœdere nexis*

Item

Edele roose als balsen soet om ruicken/
Viefflick wilt ontlucken: ouer onse eruen
In v winnen wy honich/ want v wy suicken/
Sropen waer door wy ghesontheit veruieren
All toonden die Veldt schoon hier roock dese ons steruen
Seddenen: wantse inde stert feugn: heeft
En sinder ons bukens die soekende conseruen
Tot die roose swermen/ wantse medecyn: geeft.

In fronte prædicti obelisci Iudith cum hac inscriptione depicta fuit.

*Vt caput abcidit Iudæa Virago Tyranni,
Sic pereant hostes Elisabetha tui*

*In alteræ vero pyramidis stylobate hi extabant
tituli.*

Exoptatissimo aduentui.

*Illustrissimi principis Roberti Comitis Leycestrij,
baronis de Denbig &c. belgiæ gubernatoris*

*Generalis inaugurati gratulantes Votisque fa
uentes Traiect. Dñi ordines Po.*

*In dextro stylobatis Latere hoc distichon annum
contineas videbatur.*

*Bello fracta graui dulci respiro sub vmbra
Tecta rosæ folijs belgia purpurea.*

In sinistro sic

*Da deus afflictum tandem miserate popellum
Tristia post belli tempora pace frui.*

Frons obelisci referebat palladem hoc elogio.

*Vt gladio Pallas Sophiæ dea pollet & arte,
Sic vtrisque potens belgas regina tuere*

*In parte posteriori contemplandus erat Hercules
catenis cerberum trahens cum hoc carmine.*

*Cerberon Alcides domuit, Dutl. A. Ee Tyrannis,
Haud aliter victor dominare Roberte superbis.*

Infra vero

*Monstra feras, Stygijque canis tria guttura, mille
Lernæi extinxit capitis Tyrrhinus angues:
Herculis at superat virtus Dudlæa labores,
Illos nam vates olim finxere iocose,
Monstra hæc, hidras belgis hæc vincula tollet.*

Et hæc erant Priamidi inscripta.

*Florigeras fecundat apes & diuite cornu
Præbet melliferas Elisabeta rosas.*

Crabo

*Crabronesque feros nostris rosa regia regnis
Arcet, & infestis est inimica lupis.*

Item

*Infauftis exhausta diu iam belgia bellis,
Hispanum renuens læsa subire iugum.
Cum nec libertatis ad huc spes vlla nec vllum
Adforet auxilium, mersa repente foret.
Ni Regina graues miseræ miserata labores,
Anglia quam genuit Elisabetha rosam,
Non ignara mali, miseris succurrere pulchrum
Duxisset, precibus belgia mota tuis.
Protinus huc fidum Dudelæum diua Robertum,
Finiat auspicijs qui pia bella suis
Euocat, insignem pietate annisque verendum
Et multa clarum militis artis ducem
Æternamque sibi famam pariturus in vrbe hæc
Multorum precibus sæpe vocatus adest.
Eia igitur comitis celebretur fama Licestri,
Votaque sint votis consona nostra suis.*

Non procul ab his obeliscis eminēiori loco Fides venusta virgini forma stans, candidaque sinistra vlna fouens catellam dextera manu principi urbem iam ingresso offerebat officioseque annulum ostentabat infra hanc singulis scilobatis lateribus Concordia, Fortitudo, Prudentia, Honos, hoc elogio depictæ extabant

Concordia Fortitudinis, Prudentia Honoris parens.

Infra vero hic erat titulus

Generos

Generosissimo heroi Roberto Dudlæo Gubernatori Generali Fidem qua hætenus urbem defendere offerentes capitanei signiferique Tra. posuere.

In foro palatino Petrus a Sypenes ænopola civis egregius sub vineam quæ umbra amoenissima domum refrigerat, vrsus gentilitium Dudlæi insigne dependerat hoc addito carmine.

Vrsus ad arboreum cohibent quem vincula truncum

Est gentilitijs stemma Roberte tuis
Quod Dudlæe tuo doceat stratagemate fortes
Cogi posse, animo sint licet vsque fero.

Hæc veterum decora alta patrum nos omine firment,
Proficiant belgis, hostibus officiant.

Ante curiam, Ciuitas Traiectensis forma decoræ
mulieris conspiciebatur cui quatuor adolescentulæ quatuor
urbes quas minores vocant designantes utrumque
latus claudebant.

Quarum primaria sic loquitur
TRAIECTVM.

Salve Dudlææ stirpis generosa propago

Gratus ades mæstis certa Roberte salus.
Ancora sacra ratis collisæ, portus & aura
Huc Rosa quem misit Regia gratus ades.

AMISIFORDIA.

*Fallor ? na incipiunt vires in membra renasci,
Languida quis medica Roborat ossa manus?*

R HENA disticho annum continente.

*Dudlaeus venit, ecce datur præclara tueri
Ora, salus moestis hæc inopina venit.*

MONFORTIVM.

*Numina quæ cælo properant descendere ab alto,
Vestibus in niueis quas ego cerno deas?*

BATAVODVRVM

*Cana fides, pietasque virum vt comitentur euntem
Iustitiæ & sanæ religionis amor.*

Post has stabant septem adolescentes insignia tenentes principum, quos Adeboldus antistes magnificus, volente Henrico Imperatore Augusto conuocari olim Traiecti iusserat, inter quos erat dux Brabantorum dapifer Traiectini Episcopi, Geldriorum princeps venator. Hollandorum comes magister equitum, Comes Ben- themius Ianitor, Comes Cuiickensis pincerna. Comes Goranus ab armis: tanta tum erat Ultraiectinorum auctoritas & potestas, vt annales Hollandiæ abunde testantur.

*In platea veteris cæmeterij in æditiori loco Iusti-
tia stabat velatis oculis, altera manu bilancem altera gladi-
um tenens hoc disticho apposito.*

*Iustitiæ populos æquali lance gubernans,
Ense tuere bonos, ense malos cohibe.*

Fœlicibus ANtonini Pij IMperato,
*ris Augusti vrbs Traiect. condita auspicijs, foeliciori-
bus Dagoberti Franciæ regis christianismo donata, Ca-
roli martelli ope incredulis Phrisijs profligatis liberata, Henrici
Imp. Aug. Danis expulsis aucta & restaurata, Elisabethæ
Angliæ reginæ tutela, se foelicissimam futuram
spe non vana confidit.*

In posteriori vero Basis parte hic titulus

Diuæ Elisabethæ Angliæ Franciæ Hiberniæ Regina,
diuinitus instauratam religionem, contra omnes hostium insultus
propugnaturæ, defensuræ, vindicaturæ, a qua, nihil
non religiosissima principe dignum expectant
tres Traiect. ordines dedicabant.

Ante portam aulæ Generosissimi comitis Adolphi Guber-
natoris, Optimè de republica meriti, prouinciasq; quas suscepit des-
fendendas, magna cum laude administrantis, erectus erat
arcus triumphalis, in quo, Iouem aquilæ
insidentem, cernere erat, Hoc
inscripto, symbolo.

Ζεύς ἄετον ἔειλετο

In Zophoro hæc disticha legebantur,

*Impavidis veluti trepidas Iouis armiger alis
Insequitur volucres, vnguibus atque rapit.
Haud aliter soeuos debellet Adolphus Iberos,
Nam proles aquilæ est ter generosa nouæ.*

In pa

In palatio Diuæ Mariæ spectaculum exhibebatur, in quo
Leo Belgicus faucibus grauiusque vulneratus, opem medicam
implorabat, quem adolescentula Serenissimam Angliæ
Reginam designans in suam fidem & tu-
telam recipiebat, addito hoc con-
uenienti symbolo.

Belgici Leonis Medica.


*In basi spectaculi hoc onomastichon gratulatorium car-
men gallicè descriptum erat.*

*R*edoutable en armes a tout vertu nè
*O*r est arriue, Robert prince tres excellent
*B*ien sagement, belgia sera gouerne
*E*t la guerre mene, par lui heureusement
*R*epos, tranquillite, secours, allegement
*T*rouuerons vraiment, par sa prouesse
*D*e sire sans cesse, auons longuement
*V*oir icy present, sa tresnoble hauteesse
*D*ROIT ET LOIAL, muer en aage & sagesse
*L*Aquelle s'adresse, en grand honneur & vertu
*E*nuers nous, pourquoi crions en liesse
*T*u sois la bien, & mieux que bien venu.

*Et hoc retrogradum idiomate germanico
carmen*

Vcr

Verhuecht v belgia en maecht iolke
Ontbonden zyt ghy onder haest zynde ghebrocht
Duecht gheschier v wonderlyck wort ghy beurt
Ghenonden ghy hebt die wiheyt die ghy socht
Ghesonden v is graeff Licester wyselich bedocht
Doorspoedich sal hy nederlant regeren
Bloedich oorloch wechneemen en doen cessen.



Ante augustam AEquitum ordinis

Teutonici domum, vbi Caesares reges & principes di-
uerſi conſueuerunt, principis hospitium, arcus triplici
transitu peruius erat erectus, in Zophoro hoc conti-
nens distichon.

Ingredere o princeps christo duce & omine LÆto.

Quo te cunque feret tua virtus i pede fausto.

*In summitate arcus Ceres, Rhenusque grandæui viri for-
ma depictus extabat, hoc appposito tetrasticho.*

*Secure arua colant, terris dent semina tuti,
Frugiferis fœcunda Ceres quos ditat aristis
Agricolæ, per prata boues, errentque bidentes,
Munere Dudlæi tutum pecus omne vagetur.*

Faxit



Fexit deus optimus maximus, ut his auspicijs ex purissimo amoris fonte profectis, principis erga nos benevolentia indies magis accrescat, eumque erga subditos suos induat amorem & affectum, qualem sibi paterfamilias in suos liberos sumit, ut (deo duce) alterum cum Gedeonem experiamur, qui ægras propeque collapsas rei publicæ partes fulcire, omnes in eadem iuris æquitate continere, facilemque se in rebus cognoscendis præbere queat, Quod ut velit & possit, præstet supremus rerum monarcha, qui teste apostolo eā ob causam principes & potestates reipublicæ præfectos esse voluit, ut dei ministri essent omnibus qui recte agerent, in gloriam: qui se vero vitijs & flagitijs dederent in peccati ultionem & vindictam.

Prosopopeia Urbis Traiectensis ad principem Mauritium
Comitem Nassaviū &c. Hollandiæ Zelandiæ & Frisiæ
Gubernatorem fortissimum.

Macte animi princeps heroibus ædite longa
Auricis serie, qui veram religionem
Virtutem & teneris qua te pater imbuit annis
Rite colens, animumque gerens curamque paternam,
Ingredere auspicijs genitoris moenia dextris
Tecta tui quondam, quem secula nulla tacebunt.
Ille fuit nostri custos fidissimus agri,
Vexatasque malis vrbes populosque Leuabat.
Sic facito, o princeps, patriæ virtutis imago.

*Oratio qua Iacobus de Pottere Ordinis Senatory vir,
cum doctus tum facundus principem SPQ Traiect. no-
mine excepit.*

ILLustrissime Princeps, Senatores, Tribuni, Respublicaque Traiect-
ina, qua fieri potest modestia manus vestrae excellentiae deosculantur:
Cuius diu avidissime desideratum aduentum deuote gratulantur. In-
gentes Deo Opt. max. grates persolunt quod oculis diuinæ suæ Clemen-
tiae, afflictas Belgiae Prouincias respexerit, animumque Serenissimæ
Anglie reginæ excitarit, vt has in suam fidem ac tutelam prouincias re-
ciperet. Res profecto laude memorabili, famaue nulla ætate oblitteranda
dignissima. Sacrae Regiæ maiestati ex intimis pectoris penetralibus im-
mortales agentes gratias, quod pro suo beneuolentissimo erga has prouin-
cias studio & affectu, vestram magnificentiam, patriæ e summo discrimi-
ne liberandæ idoneam delegarit. Vestrae quoque excellentiæ gratam ani-
morum deuotionem exhibentes, quæ tam arduam tantæque molis prouin-
ciam suscipere non recusarit. Maxime vero quod placuit vestrae Celsitu-
dini ad hanc nostram ciuitatem belli incommodis vicinissimam iter arri-
pere, vt cum bellicis tum publicis difficultatibus commodius oportunius-
que prospicere queas. Qua de causa SPQ Traiect. ob tanta beneficia,
tamque præclara merita se Celsitudini vestrae multis nominibus obstringi,
ingenue fatentes, ad præstandum Regiæ Maiest. vestraque magnificen-
ciæ, debitum honorem, fidem & obsequium, fortunas suas omnes, vitam-
que impendere suæ Maiestatis, vestraque Celsitudinis seruitio, Libera
animi deuotione offerunt. Augustissimam numinis supremi maiestatem
denique obtestantes, vt pro sua clementia arduos Anglicæ Maiestatis co-
natus, heroicasque vestrae Celsitudinis virtutes, bene fortunet, ad nomi-
nis diuini sui gloriam, Ecclesiæ incrementum, æternumque Regiæ Ma-
iestatis, vestraque Celsitudinis decus, belgiæq; afflictæ solamen.

Errata sic corrigito

Pag. 1. lege II Cale. Aprilis pag 2. lege 9 cal Apri. pagina 4 leg.
Hæchydras, monstra hæc.